



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 676. Ut clausula codicillaris ordinaria vim suam habeat & effectum, quæ requirantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tetur, per duos testes, qui viderunt testatorem ea interfecerem aut in separata charta scribentem probetur) in quo casu posteriore testes subscribere debent: nisi forte per Notarium publicum fieret instrumentum.

2. Resp. Ad secundum primò: apponitur hæc clausula in testamento vel litteris vel verbis. Lauterb. *ad ff. de iure codicill.* §. 17. Quocunque modo conceptis, sive sint præteriti temporis, sive præsentis, sive futuri: si non valeat: si non valeret: si non valebit: sive conceptis alternativè: valeat vel ut testamentum, vel ut codicillus: sive copulativè: valeat & iure testamenti & iure codicillorum. ut Terret. *de effect. & defect. claus. codicill.* q. 12. & 14. Tusch. *pract. concl. lit. C. concl. 292. num. 6.* Præcis. *de interpret. ult. volunt. fol. 10. n. 75.* Muller. *l. c. th. 63. lit. B.* Item apponitur verbis dictam clausulam vel clarè exprimentibus ut dum dicitur: si hæc mea dispositio non valet ut testamentum, volo eam valere ut codicillum, vel tacitè id ipsum comprehendentibus, ut dum dicitur: si hæc mea dispositio non valet ut testamentum, cupio tamen, ut valeat, quocunque modo valere potest: eo ipso enim comprehenditur modus, quo valere potest iure codicilli, vel in vim fideicommissi, legati, donationis causâ mortis. Muller. *l. c. th. 61. lit. D.* quarum clausularum posteriorem, quia aliqui pinguorem, alii ejusdem efficaciam censent, praxis ferè hodie dum obtinet, ut utraque simul cuivis testamento adhibeatur. verùm utramque hanc clausulam venire nomine clausulæ codicillaris expressæ, illam verò tacitam dicendam, quæ nullis verbis aut literis exprimitur, sed solum inesse testamentis. v. g. inter liberos, milites & ad pias causas præsumitur, pro ut hanc sententiam amplectuntur. Valsq. *de succes. progr. l. 3. §. 3. num. 38.* Covar. *in c. Raynuntius. h. t. §. 3. num. 15.* Menoch. *L. 4. presump. 31.* Carpz. *p. 3. c. 4. d. 38.* Brunem. *ad L. fin. c. de codicill. n. 11.* & alii, quos citat Muller. *l. c. lit. B.* contrarium tenentibus, seu clausulam tacitam in hoc sensu rejicientibus, & nullam inesse ulli testamento clausulam, nisi in eo expressis verbis contineatur. Giphano. *ad cit. l. fin. c. de jur. codicill.* Chifflet. *de jur. fideicom. L. 3. c. 2. §. 3.* Ludvvel. *de ult. vol. p. 2. c. 5. & c.* quibus adharere videtur Muller. *l. c. th. 62.* dum citatis pro hoc *L. 1. ff. de jur. codicill.* Tusch. Simon. de Præcis & aliis, ait non præsumi adjectam codicillarem clausulam, nisi in specie in testamento appareat; cum clausula codicillaris non expressa non subintelligatur.

3. Resp. Ad secundum secundò: dum dicta clausula adjecta est manu Notarii, in dubio censetur adjecta non ex mera consuetudine Notariorum, sed ex præsumpta voluntate testatoris. Barbol. *de claus. claus. 21. n. 3.* Stru. *in ff. de jur. codicill. th. 62. lit. a.* Muller. *ibid.* cum omnia, quæ in testamento scripta, regulariter propter fidem Tabellionis præsumantur esse scripta de voluntate testatoris saltem implicita; dum hic in dubio censetur eidem demandasse apponere omnes clausulas salutare & consuetas. de Præcis. *l. c. num. 55. & seq.* Muller. *l. c.* Quamvis autem tutius sit, ut Notarius hanc clausulam ad usum exprimat; videtur tamen sufficere, si adjecerit clausulam cateratam, ut loquuntur. AA. scribendo: si hoc testamentum non potest valere iure testamenti, valeat & cætera. cum nemini dubium, quod per illam particulam & cætera indicentur formalia clausulæ codicillaris. dum enim Notarius communiter sic soleat eam exprimere, censeri non debet omiſſa, sed compendii causâ, sub

illa particula inclusa; quæ post modum extendi potest, competente hac potestate Notariis, ut queant protocollum abbreviatum & cateratum extendere secundum consuetudinem generalem, addendo illa, quæ subintelliguntur de consuetudine. Muller. *l. c. cutu Carpz. L. 6. respons. 7. n. 27.*

Quæst. 676. Ut clausula codicillaris ordinaria vim suam exerceat & effectum suum habeat, quanam requirantur.

Resp. Requiritur primò, ut persona testatoris sit habilis ad testandum, ita ut si testamentum ex hac parte pariatum defectum clausula dicta nihil proficit. Carpz. *p. 3. c. 4. d. 29. num. 2.* Stru. *ad ff. de jur. codicill. th. 66. lit. a.* Muller. *ibid.* Secundò ut constet de voluntate testatoris; ita ut, si testamentum sit imperfectum ratione deficientis voluntatis requisitæ ad testandum per clausulam codicillarem, sustineri nequeat in ratione codicilli juxta clarum textum. *L. 11. §. 1. de legat. 3. & l. 29. ff. de testam.* si quidem hæc clausula corroborare & confirmare tantum potest voluntatem testatoris, non autem eandem alterare & extendere. Barbol. *de claus. claus. 21. num. 27. & 28.* Mantic. *de conjeçt. ult. vol. l. 6. tit. 4. num. 15.* Menoch. *conf. 532. num. 20.* & *tr. de presump. l. 4. presump. 5. num. 6.* Gratian. *discep. for. c. 550. num. 9.* Gail. *L. 2. obs. 114. num. 12.* & alii, quos citat & sequitur. Muller. *l. c. lit. B.* Atque ita, dum testamentum est coactum, nimirum voluntate extorta vi metûe, clausula adjecta nihil operatur. Harpr. *de testam. ratione voluntatis imperf. th. 35.* Muller. *l. c.* Ad quem defectum etiam reducitur, dum testator cœperit scribere ultimam voluntatem, non tamen ad finem perduxit. Stru. *l. c.* quamvis, ut Muller. velint aliqua, ut si testator occupatus in testamento faciendo vehementia morbi impeditus, voluntatem suam, ut ab initio constituerat, perfectè explanare non potuerit, adjectam clausulam operari, ut scriptura, quæ ad testamentum parabatur, quò ad ea, quæ ibi exstant scripta (non verò ad ea, quæ ibi omiſſa, cum de illis difficilis sit collectio) valeat in vim codicillorum. pro quo sententia citantur à Muller. Giphano. *in l. fin. §. ult. c. de codicill.* Schvvendendorff. *de codic. th. 4. lit. e.* Tertio requiritur ut testator in præsentia duorum testium similem schedam scripserit vel subscripserit, tunc enim valet testibus etiam non auditis vel mortuis. quin & valere talem clausulam non tantum quò ad legata & fideicommissa, sed etiam quò ad hæredis institutionem & immutationem à Schmidt bene probari asserit Reiffenst. *h. t. n. 726.* quem vide. Quarto requiritur, ut testamentum saltem illas solennitates habeat, quæ ad codicillum requiruntur; cum dispositio illa in vim codicilli nullatenus valere possit, quæ solennitates & juris requisita ad codicillum non habet. v. g. dum ad testamentum ne quidem quinque testes adhibiti. Quintò ut codicillus secundum se legitime confectus subsistat. Unde si codicillus separatim à testamento factus caret solennitate aliqua ad confectionem codicilli essentialiter requisita, frustra adicitur dicta clausula testamento, vel etiam ipsi codicillo; ut dum diceretur: volo hanc dispositionem meam codicillarem valere, quocunque modo valere potest.

Quæst. 677. Quisnam igitur sit effectus clausulæ codicillaris.

1. Resp. Si itaque requisita codicillorum perfectè servata, effectus clausulæ codicillaris ordinariæ